



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXI. Gregorii Papae I. Ad Anthemivm Svbdiaconvm. Ne Iudaei  
conuersi victus inopiam patiantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

citur lima, & tamen vt aliquid exinde exeat non obtinetur.

*Mense Junio, indictione duodecima.*

## EPISTOLA XXXI.

## GREGORII PAPÆ I.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

Ne Iudæi conuersi victus inopiam patiantur.

*Gregorius Anthemio subdiacono.*

**H**IS quos de Iudaica perditione Redemptor noster ad se dignatur conuertere, rationabili nos oportet moderatione concurrere; ne victus, quod absit, inopiam patiantur. Ideoque tibi huius præcepti auctoritate mandamus, quatenus filiabus Iustæ ex Hebræis, id est, Iulianæ, Redemptæ, & Fortunatæ a tertiadecima succedenti indictione annis singulis solidos dare non differas, quos tuis noueris modis omnibus rationibus imputandos.

## EPISTOLA XXXII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD PANTALEONEM PRÆFECTUM AFRICÆ.

Vt Donatistæ qui catholicos iterum rebaptizare tentant comprimantur.

*Gregorius Pantaleoni præfetto Africae.*

**H**ÆRETICORVM nefandissimam prauitatem, qualiter lex persequatur instantius, excellentiæ vestræ non habetur incognitum. Hi igitur, quos & fidei nostræ integritas & legum damnat distinctio mundanarum, non leue peccatum est, si vestris inueniant temporibus licentiam reserpendi. In illis igitur partibus, quantum didicimus, ita Donatistarum creuit audacia, vt non solum de suis ecclesiis auctoritate pestifera eiiciant catholicæ fidei sacerdotes; sed & quos vera confessione aqua regenerationis abluerat, rebaptizare non metuunt. Valdeque miramur, si tamen ita est, vt vobis illic positus huiuscemodi liceat hominibus in prauis excedere. Primum siquidem quale de vobis iudicium hominibus relinquatis, attendite; si hi qui aliorum temporibus iusta ratione compressi sunt, vobis